# HOOFDSTUK 3 DAPHNE EN APOLLO (*Metamorphoses* I, 452-567)

## a. Apollo beledigt Cupido (I, 452-462)

Primus amor Phoebi Daphne Peneia, quem non
fors ignara dedit, sed saeva Cupidinis ira.
Delius hunc, nuper victo serpente superbus,
viderat adducto flectentem cornua nervo
'Quid' que 'tibi, lascive puer, cum fortibus armis?'
dixerat; 'ista decent umeros gestamina nostros,
qui dare certa ferae, dare vulnera possumus hosti,
qui modo pestifero tot iugera ventre prementem
stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.
Tu face nescioquos esto contentus amores
inritare tua, nec laudes adsere nostras.'

**b. De reactie van Cupido (I, 463-473)**

Filius huic Veneris 'Figat tuus omnia, Phoebe,
te meus arcus' ait, 'quantoque animalia cedunt
cuncta deo, tanto minor est tua gloria nostra.'
Dixit et eliso percussis aere pennis
impiger umbrosa Parnasi constitit arce,
eque sagittifera prompsit duo tela pharetra
diversorum operum; fugat hoc, facit illud amorem.
(Quod facit, auratum est et cuspide fulget acuta;
quod fugat, obtusum est et habet sub harundine plumbum.)
Hoc deus in nympha Peneide fixit, at illo
laesit Apollineas traiecta per ossa medullas.

**c. Het effect van de pijlen van Cupido (I, 474-489)**

Protinus alter amat, fugit altera nomen amantis,
silvarum latebris captivarumque ferarum
exuviis gaudens innuptaeque aemula Phoebes.
[Vitta coercebat positos sine lege capillos.]

Multi illam petiere, illa aversata petentes
impatiens expersque viri nemora avia lustrat,
nec, quid Hymen, quid amor, quid sint conubia, curat.
Saepe pater dixit ‘Generum mihi, filia, debes’;
saepe pater dixit ‘Debes mihi, nata, nepotes.’
Illa velut crimen taedas exosa iugales
pulchra verecundo suffunditur ora rubore,
inque patris blandis haerens cervice lacertis
‘Da mihi perpetua, genitor carissime,’ dixit
‘virginitate frui; dedit hoc pater ante Dianae.’
Ille quidem obsequitur, sed te decor iste, quod optas,
esse vetat, votoque tuo tua forma repugnat.

**d. De hartstocht van Apollo** (I, 490-503)

Phoebus amat visaeque cupit conubia Daphnes,
quodque cupit, sperat, suaque illum oracula fallunt.

Utque leves stipulae demptis adolentur aristis,
ut facibus saepes ardent, quas forte viator
vel nimis admovit vel iam sub luce reliquit,
sic deus in flammas abiit, sic pectore toto
uritur et sterilem sperando nutrit amorem.
Spectat inornatos collo pendere capillos,
et ‘Quid, si comantur?’ ait; videt igne micantes
sideribus similes oculos; videt oscula, quae non
est vidisse satis; laudat digitosque manusque
bracchiaque et nudos media plus parte lacertos;
si qua latent, meliora putat. Fugit ocior aura
illa levi neque ad haec revocantis verba resistit:

**e. Apollo’s liefdesverklaring** (I, 504-524)

‘Nympha, precor, Penei, mane! Non insequor hostis;
nympha, mane! Sic agna lupum, sic cerva leonem,
sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae,
hostes quaeque suos; amor est mihi causa sequendi.

Me miserum, ne prona cadas indignave laedi
crura notent sentes, et sim tibi causa doloris!
Aspera, qua properas, loca sunt. Moderatius, oro,
curre fugamque inhibe; moderatius insequar ipse.
Cui placeas, inquire tamen; non incola montis,
non ego sum pastor, non hic armenta gregesque
horridus observo. Nescis, temeraria, nescis
quem fugias, ideoque fugis. Mihi Delphica tellus
et Claros et Tenedos Pataraeaque regia servit;
Iuppiter est genitor; per me, quod eritque fuitque
estque, patet; per me concordant carmina nervis.
Certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta
certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.
Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
dicor, et herbarum subiecta potentia nobis.
Ei mihi, quod nullis amor est sanabilis herbis,
nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes!’

**f. De vlucht en de achtervolging (I, 525-542)**

Plura locuturum timido Peneia cursu
fugit cumque ipso verba imperfecta reliquit,
tum quoque visa decens. Nudabant corpora venti,
obviaque adversas vibrabant flamina vestes,
et levis impulsos retro dabat aura capillos;
aucta fuga forma est. Sed enim non sustinet ultra
perdere blanditias iuvenis deus, utque monebat
ipse Amor, admisso sequitur vestigia passu.
Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem,
alter inhaesuro similis iam iamque tenere
sperat et extento stringit vestigia rostro,
alter in ambiguo est, an sit comprensus, et ipsis
morsibus eripitur tangentiaque ora relinquit;
sic deus et virgo est, hic spe celer, illa timore.

Qui tamen insequitur, pennis adiutus Amoris
ocior est requiemque negat tergoque fugacis
imminet et crinem sparsum cervicibus adflat.

**g. Daphne vraagt om hulp** (I, 543-552)

Viribus absumptis expalluit illa citaeque
[victa labore fugae 'Tellus' ait, 'hisce, vel istam,
quae facit ut laedar, mutando perde figuram.']
544a victa labore fugae, spectans Peneidas undas,
546 'Fer, pater' inquit 'opem, si flumina numen habetis;
qua nimium placui, mutando perde figuram.'
Vix prece finita torpor gravis occupat artus;
mollia cinguntur tenui praecordia libro;
in frondem crines, in ramos bracchia crescunt;
pes modo tam velox pigris radicibus haeret;
ora cacumen habet; remanet nitor unus in illa.

**h. Apollo en Daphne** (**I, 553-567**)

Hanc quoque Phoebus amat, positaque in stipite dextra
sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus,
complexusque suis ramos, ut membra, lacertis
oscula dat ligno; refugit tamen oscula lignum.
Cui deus ‘At quoniam coniunx mea non potes esse,
arbor eris certe’ dixit ‘mea; semper habebunt
te coma, te citharae, te nostrae, laure, pharetrae.
Tu ducibus Latiis aderis, cum laeta Triumphum
vox canet et visent longas Capitolia pompas;
postibus Augustis eadem fidissima custos
ante fores stabis mediamque tuebere quercum.
Utque meum intonsis caput est iuvenale capillis,
tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.’
Finierat Paean; factis modo laurea ramis
adnuit utque caput visa est agitasse cacumen.

# HOOFDSTUK 4 ACTAEON (*Metamorphoses* III, 131-252)

**a. Cadmus is heerser van Thebe; Actaeon is een van zijn kleinzonen** (III, 131-142)

Iam stabant Thebae, poteras iam, Cadme, videri
exilio felix. Soceri tibi Marsque Venusque
contigerant; huc adde genus de coniuge tanta,
tot natas natosque et, pignora cara, nepotes,
hos quoque iam iuvenes. Sed scilicet ultima semper
exspectanda dies hominis, dicique beatus
ante obitum nemo supremaque funera debet.
Prima nepos inter tot res tibi, Cadme, secundas
causa fuit luctus, alienaque cornua fronti
addita, vosque, canes, satiatae sanguine erili.
At bene si quaeras, Fortunae crimen in illo,
non scelus invenies; quod enim scelus error habebat?

**b. Actaeon onderbreekt de jacht (III, 143-154)**

Mons erat infectus variarum caede ferarum,
iamque dies medius rerum contraxerat umbras
et sol ex aequo meta distabat utraque,
cum iuvenis placido per devia lustra vagantes
participes operum compellat Hyantius ore:
‘Lina madent, comites, ferrumque cruore ferarum,
fortunamque dies habuit satis. Altera lucem
cum croceis invecta rotis Aurora reducet,
propositum repetemus opus; nunc Phoebus utraque
distat idem meta finditque vaporibus arva.
Sistite opus praesens nodosaque tollite lina.’
Iussa viri faciunt intermittuntque laborem.

**c. Diana rust uit van de jacht (III, 155-172)**

Vallis erat piceis et acuta densa cupressu,
nomine Gargaphie, succinctae sacra Dianae,
cuius in extremo est antrum nemorale recessu
arte laboratum nulla; simulaverat artem
ingenio natura suo, nam pumice vivo
et levibus tofis nativum duxerat arcum.
Fons sonat a dextra tenui perlucidus unda,
margine gramineo patulos incinctus hiatus;
hic dea silvarum venatu fessa solebat
virgineos artus liquido perfundere rore.
Quo postquam subiit, nympharum tradidit uni
armigerae iaculum pharetramque arcusque retentos;
altera depositae subiecit bracchia pallae;
vincla duae pedibus demunt; nam doctior illis
Ismenis Crocale sparsos per colla capillos
colligit in nodum, quamvis erat ipsa solutis.

Excipiunt laticem Nepheleque Hyaleque Rhanisque
et Psecas et Phiale funduntque capacibus urnis.

### d. De godin en haar nimfen worden door Actaeon gezien (III, 173-185)

Dumque ibi perluitur solita Titania lympha,
ecce nepos Cadmi dilata parte laborum
per nemus ignotum non certis passibus errans
pervenit in lucum; sic illum fata ferebant.
Qui simul intravit rorantia fontibus antra,
sicut erant nudae, viso sua pectora nymphae
percussere viro subitisque ululatibus omne
implevere nemus circumfusaeque Dianam
corporibus texere suis; tamen altior illis
ipsa dea est colloque tenus supereminet omnes.
Qui color infectis adversi solis ab ictu
nubibus esse solet aut purpureae Aurorae,
is fuit in vultu visae sine veste Dianae.

**e. De metamorfose** (III, 186-205)

Quae quamquam comitum turba est stipata suarum,
in latus obliquum tamen adstitit oraque retro
flexit et, ut vellet promptas habuisse sagittas,
quas habuit sic hausit aquas vultumque virilem
perfudit spargensque comas ultricibus undis
addidit haec cladis praenuntia verba futurae:
‘Nunc tibi me posito visam velamine narres,
si poteris narrare, licet.’ Nec plura minata
dat sparso capiti vivacis cornua cervi,
dat spatium collo summasque cacuminat aures
cum pedibusque manus, cum longis bracchia mutat
cruribus et velat maculoso vellere corpus;
additus et pavor est. Fugit Autonoeius heros
et se tam celerem cursu miratur in ipso.
[Ut vero vultus et cornua vidit in unda,]
‘Me miserum!’ dicturus erat; vox nulla secuta est.

Ingemuit; vox illa fuit, lacrimaeque per ora
non sua fluxerunt; mens tantum pristina mansit.
Quid faciat? Repetatne domum et regalia tecta,
an lateat silvis? Pudor hoc, timor impedit illud.

**g. De honden slaan toe** (**III, 228-241**)

Ille fugit per quae fuerat loca saepe secutus,
(heu!) famulos fugit ipse suos. Clamare libebat:
[‘Actaeon ego sum: dominum cognoscite vestrum!’]
Verba animo desunt; resonat latratibus aether.
Prima Melanchaetes in tergo vulnera fecit,
proxima Therodamas, Oresitrophos haesit in armo,
(tardius exierant, sed per compendia montis
anticipata via est); dominum retinentibus illis,
cetera turba coit confertque in corpore dentes.

Iam loca vulneribus desunt; gemit ille sonumque,
etsi non hominis, quem non tamen edere possit
cervus, habet maestisque replet iuga nota querelis
et genibus pronis supplex similisque roganti
circumfert tacitos tamquam sua bracchia vultus.

**h. Het einde van Actaeon** (**III, 242-252**)

At comites rapidum solitis hortatibus agmen
ignari instigant oculisque Actaeona quaerunt
et velut absentem certatim Actaeona clamant
(ad nomen caput ille refert) et abesse queruntur
nec capere oblatae segnem spectacula praedae.
Vellet abesse quidem, sed adest, velletque videre,
non etiam sentire canum fera facta suorum.
Undique circumstant, mersisque in corpore rostris
dilacerant falsi dominum sub imagine cervi,
nec nisi finita per plurima vulnera vita
ira pharetratae fertur satiata Dianae.

# HOOFDSTUK 7 PHILEMON EN BAUCIS (*Metamorphoses* VIII, 611-724)

## a. De goden zijn almachtig (VIII, 611-625)

Amnis ab his tacuit. Factum mirabile cunctos
moverat; inridet credentes, utque deorum
spretor erat mentisque ferox, Ixione natus:
‘Ficta refers nimiumque putas, Acheloe, potentes
esse deos,’ dixit, ‘si dant adimuntque figuras.’
Obstipuere omnes nec talia dicta probarunt,
ante omnesque Lelex animo maturus et aevo
sic ait: ‘Immensa est finemque potentia caeli
non habet et, quidquid superi voluere, peractum est.
Quoque minus dubites, tiliae contermina quercus
collibus est Phrygiis, medio circumdata muro.
(Ipse locum vidi; nam me Pelopeia Pittheus
misit in arva suo quondam regnata parenti.)
Haud procul hinc stagnum est, tellus habitabilis olim,
nunc celebres mergis fulicisque palustribus undae.’

**b. Jupiter en Mercurius bezoeken Phrygië** (VIII, *626-636*)

‘Iuppiter huc specie mortali cumque parente
venit Atlantiades positis caducifer alis.
Mille domos adiere locum requiemque petentes,
mille domos clausere serae. Tamen una recepit,
parva quidem, stipulis et canna tecta palustri,
sed pia Baucis anus parilique aetate Philemon
illa sunt annis iuncti iuvenalibus, illa
consenuere casa paupertatemque fatendo
effecere levem nec iniqua mente ferendo.
Nec refert, dominos illic famulosne requiras:
tota domus duo sunt, idem parentque iubentque.’

**c. Philemon en Baucis onthalen hun gasten** (VIII, *637-650*)

‘Ergo ubi caelicolae parvos tetigere Penates
submissoque humiles intrarunt vertice postes,
membra senex posito iussit relevare sedili,
cui superiniecit textum rude sedula Baucis.

Inde foco tepidum cinerem dimovit et ignes
suscitat hesternos foliisque et cortice sicco
nutrit et ad flammas anima producit anili,
multifidasque faces ramaliaque arida tecto
detulit et minuit parvoque admovit aeno,
quodque suus coniunx riguo collegerat horto,
truncat holus foliis; furca levat illa bicorni
sordida terga suis nigro pendentia tigno
servatoque diu resecat de tergore partem
exiguam sectamque domat ferventibus undis.’

### d. De gasten gaan aan tafel (VIII, *651-663*)

‘Interea medias fallunt sermonibus horas
sentirique moram prohibent. Erat alveus illic
fagineus, dura clavo suspensus ab ansa;
is tepidis impletur aquis artusque fovendos
655a accipit. In medio torus est de mollibus ulvis
656a impositus lecto sponda pedibusque salignis;

[concutiuntque torum de molli fluminis ulva
impositum lecto sponda pedibusque salignis;]
vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
sternere consuerant, sed et haec vilisque vetusque
vestis erat, lecto non indignanda saligno.
Accubuere dei. Mensam succincta tremensque
ponit anus, mensae sed erat pes tertius impar;
testa parem fecit, quae postquam subdita clivum
sustulit, aequatam mentae tersere virentes.’

**e. Het eten wordt opgediend (VIII*, 664-678*)**

‘Ponitur hic bicolor sincerae baca Minervae
conditaque in liquida corna autumnalia faece
intibaque et radix et lactis massa coacti
ovaque non acri leviter versata favilla,
omnia fictilibus; post haec caelatus eodem
sistitur argento crater fabricataque fago
pocula, qua cava sunt, flaventibus inlita ceris.

Parva mora est, epulasque foci misere calentes;
nec longae rursus referuntur vina senectae
dantque locum mensis paulum seducta secundis.
Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis
prunaque et in patulis redolentia mala canistris
et de purpureis collectae vitibus uvae;
candidus in medio favus est. Super omnia vultus
accessere boni nec iners pauperque voluntas.’

**f. De gasten maken zich bekend** (VIII, *679-694*)

‘Interea totiens haustum cratera repleri
sponte sua per seque vident succrescere vina;
attoniti novitate pavent manibusque supinis
concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon
et veniam dapibus nullisque paratibus orant.

Unicus anser erat, minimae custodia villae,
quem dis hospitibus domini mactare parabant;
ille celer penna tardos aetate fatigat
eluditque diu tandemque est visus ad ipsos
confugisse deos. Superi vetuere necari
“Di” que “sumus, meritasque luet vicinia poenas
impia” dixerunt; “vobis immunibus huius
esse mali dabitur. Modo vestra relinquite tecta
ac nostros comitate gradus et in ardua montis
693 ite simul!” Parent ambo baculisque levati
693a [ite simul.” Parent et dis praeeuntibus ambo
693b membra levant baculis tardique senilibus annis]
694 nituntur longo vestigia ponere clivo.’

**g. De eerste metamorfose (VIII, *695-710*)**

‘Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
missa potest; flexere oculos et mersa palude
cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere.
Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum,
illa vetus, dominis etiam casa parva duobus,
vertitur in templum; furcas subiere columnae,
stramina flavescunt aurataque tecta videntur
caelataeque fores adopertaque marmore tellus.
Talia tum placido Saturnius edidit ore:
“Dicite, iuste senex et femina coniuge iusto
digna, quid optetis.” Cum Baucide pauca locutus
iudicium superis aperit commune Philemon:
“Esse sacerdotes delubraque vestra tueri
poscimus, et quoniam concordes egimus annos,
auferat hora duos eadem, nec coniugis umquam
busta meae videam neu sim tumulandus ab illa.”’

**h. Hun wensen gaan in vervulling** (VIII, 711-724)

‘Vota fides sequitur; templi tutela fuere,
donec vita data est. Annis aevoque soluti
ante gradus sacros cum starent forte locique
narrarent casus, frondere Philemona Baucis,
Baucida conspexit senior frondere Philemon.
Iamque super geminos crescente cacumine vultus
mutua, dum licuit, reddebant dicta “Vale” que
“o coniunx” dixere simul, simul abdita texit
ora frutex. Ostendit adhuc Thyneius illic
incola de gemino vicinos corpore truncos.
Haec mihi non vani (neque erat, cur fallere vellent)
narravere senes; equidem pendentia vidi
serta super ramos ponensque recentia dixi:
“Cura deum di sunt, et qui coluere coluntur.’”

# HOOFDSTUK 9 PARIS' BRIEF AAN HELENA (*Heroides* XVI)

**e. Ik zal altijd van je blijven houden** (XVI, 163-174)

Da modo te, quae sit Paridis constantia, nosces:
    flamma rogi flammas finiet una meas.
Praeposui regnis ego te, quae maxima quondam
    pollicita est nobis nupta sororque Iovis,
dumque tuo possem circumdare bracchia collo,
    contempta est virtus Pallade dante mihi.
Nec piget aut umquam stulte legisse videbor:
    permanet in voto mens mea firma suo.
Spem modo ne nostram fieri patiare caducam,
    deprecor, o tanto digna labore peti.
Non ego coniugium generosae degener opto,
    nec mea, crede mihi, turpiter uxor eris.

**f. Je zult in de weelde leven die bij je past** (XVI, 175-196)

Pliada, si quaeres, in nostra gente Iovemque
    invenies, medios ut taceamus avos.

Regna parens Asiae, qua nulla beatior ora est,
finibus immensis vix obeunda, tenet.
Innumeras urbes atque aurea tecta videbis
quaeque suos dicas templa decere deos.
Ilion aspicies firmataque turribus altis
moenia, Phoebeae structa canore lyrae.
Quid tibi de turba narrem numeroque virorum?
Vix populum tellus sustinet illa suum.
Occurrent denso tibi Troades agmine matres,
nec capient Phrygias atria nostra nurus.
O quotiens dices: ‘Quam pauper Achaia nostra est’!
Una domus quaevis urbis habebit opes.
Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere vestram:
in qua tu nata es, terra beata mihi est.
Parca sed est Sparte, tu cultu divite digna;
ad talem formam non facit iste locus.

Hanc faciem largis sine fine paratibus uti
deliciisque decet luxuriare novis.
Cum videas cultus nostra de gente virorum,
qualem Dardanias credis habere nurus?

**g. Vergelijk mijn voorvaderen eens met de schurken in de familie van Menelaüs (XVI, 197-214)**

Da modo te facilem nec dedignare maritum,
rure Therapnaeo nata puella, Phrygem.
Phryx erat et nostro genitus de sanguine, qui nunc
cum dis potando nectare miscet aquas;
Phryx erat Aurorae coniunx, tamen abstulit illum
extremum noctis quae dea finit iter;
Phryx etiam Anchises, volucrum cui mater Amorum
gaudet in Idaeis concubuisse iugis.
Nec, puto, collatis forma Menelaus et armis
iudice te nobis anteferendus erit.
Non dabimus certe socerum tibi clara fugantem
lumina, qui trepidos a dape vertat equos;

nec Priamo pater est soceri de caede cruentus
    et qui Myrtoas crimine signat aquas;
nec proavo Stygia nostro captantur in unda
    poma nec in mediis quaeritur umor aquis.
[Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis?
    Cogitur huic domui Iuppiter esse socer.]

**h. Ik kan het niet verdragen dat Menelaüs je liefkoost** (**XVI, 215-240**)

Heu facinus! Totis indignus noctibus ille
    te tenet amplexu perfruiturque tuo.
At mihi conspiceris posita vix denique mensa,
    multaque quae laedant hoc quoque tempus habet.
Hostibus eveniant convivia talia nostris,
    experior posito qualia saepe mero.
Paenitet hospitii, cum me spectante lacertos
    imponit collo rusticus iste tuo.
Rumpor et invideo (quianam non omnia narro?),
    membra superiecta cum tua veste fovet.

Oscula cum vero coram non dura daretis,
ante oculos posui pocula sumpta meos.
Lumina demitto cum te tenet artius ille,
crescit et invito lentus in ore cibus.
Saepe dedi gemitus et te, lasciva, notavi
in gemitu risum vix tenuisse meo.
Saepe mero volui flammam compescere, at illa
crevit, et ebrietas ignis in igne fuit;
multaque ne videam, versa cervice recumbo,
sed revocas oculos protinus ipsa meos.
Quid faciam, dubito: dolor est meus illa videre,
sed dolor a facie maior abesse tua.
Qua licet et possum, luctor celare furorem,
sed tamen apparet dissimulatus amor.
Nec tibi verba damus: sentis mea vulnera, sentis,
atque utinam soli sint ea nota tibi.

# HOOFDSTUK 10  HELENA'S BRIEF AAN PARIS (*Heroides* XVII)

**c. Ik heb je geflirt wel gemerkt!** (XVII, 75-90)

Illa quoque, apposita quae nunc facis, improbe, mensa,
    quamvis experiar dissimulare, noto,
cum modo me spectas oculis, lascive, protervis,
    quos vix instantes lumina nostra ferunt,
et modo suspiras, modo pocula proxima nobis
    sumis, quaque bibi, tu quoque parte bibis.
A, quotiens digitis, quotiens ego tecta notavi
    signa supercilio paene loquente dari,
et saepe extimui, ne vir meus illa videret,
    non satis occultis erubuique notis,
saepe vel exiguo vel nullo murmure dixi
    'Nil pudet hunc', nec vox haec mea falsa fuit!

Orbe quoque in mensae legi sub nomine nostro,
quod deducta mero littera fecit, AMO,
credere me tamen hoc oculo renuente negavi;
ei mihi, iam didici sic ego posse loqui!

**d. Ik val voor je, maar blijf mijn man trouw (XVII, 91-102)**

His ego blanditiis, si peccatura fuissem,
flecterer, his poterant pectora nostra capi.
Est quoque, confiteor, facies tibi rara, potestque
velle sub amplexus ire puella tuos.
Altera sed potius felix sine crimine fiat,
quam cadat externo noster amore pudor.
Disce meo exemplo formosis posse carere:
est virtus placitis abstinuisse bonis.
Quam multos credis iuvenes optare, quod optas?
Qui sapiant, oculos an, Paris, unus habes?
Non tu plus cernis, sed plus temerarius audes,
nec tibi plus cordis sed nimis oris adest.

**e. Laat mij alsjeblieft met rust (XVII, 103-114)**

Tunc ego te vellem celeri venisse carina,
    cum mea virginitas mille petita procis.
Si te vidissem, primus de mille fuisses:
    iudicio veniam vir dabit ipse meo.
Ad possessa venis praeceptaque gaudia serus:
    spes tua lenta fuit; quod petis, alter habet.
Ut tamen optarim fieri tua, Troice, coniunx,
    invitam sic me nec Menelaus habet.
Desine molle, precor, verbis convellere pectus
    neve mihi, quam te dicis amare, noce;
sed sine quam tribuit sortem Fortuna tueri
    nec spolium nostri turpe pudoris ave.

**f. Ik kan nauwelijks geloven dat Venus mij de mooiste vindt (XVII, 115-138)**

At Venus hoc pacta est, ut in altae vallibus Idae
    tres tibi se nudas exhibuere deae,
unaque cum regnum, belli daret altera laudem,
    'Tyndaridos coniunx,' tertia dixit, 'eris.'
Credere vix equidem caelestia numina possum
    arbitrio formam supposuisse tuo.
Utque sit hoc verum, certe pars altera ficta est,
    iudicii pretium qua data dicor ego.
Non est tanta mihi fiducia corporis, ut me
    maxima teste dea dona fuisse putem.
Contenta est oculis hominum mea forma probari;
    laudatrix Venus est invidiosa mihi.
Sed nihil infirmo, faveo quoque laudibus istis:
    nam mea vox quare, quod cupit esse, neget?
Nec tu succense nimium mihi creditus aegre:
    tarda solet magnis rebus inesse fides.

Prima mea est igitur Veneri placuisse voluptas,
proxima, me visam praemia summa tibi,
nec te Palladios nec te Iunonis honores
auditis Helenae praeposuisse bonis.
Ergo ego sum virtus, ego sum tibi nobile regnum:
ferrea sim, si non hoc ego pectus amem.
Ferrea, crede mihi, non sum; sed amare repugno
illum, quem fieri vix puto posse meum.

# HOOFDSTUK 11 MIJN LEVEN (*Tristia* IV, 10)

**a. Ovidius' afkomst en geboorte** (IV, 10, 1-14)

Ille ego qui fuerim, tenerorum lusor amorum,
quem legis, ut noris, accipe, posteritas.
Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
milia qui noviens distat ab urbe decem.
Editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris,
cum cecidit fato consul uterque pari:
si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
non modo fortunae munere factus eques.
Nec stirps prima fui; genito sum fratre creatus,
qui tribus ante quater mensibus ortus erat.
Lucifer amborum natalibus affuit idem:
una celebrata est per duo liba dies.
Haec est armiferae festis de quinque Minervae,
quae fieri pugna prima cruenta solet.

**b. Ovidius krijgt onderwijs; hij verliest zijn broer** (IV, 10, 15-32)

Protinus excolimur teneri, curaque parentis
imus ad insignes urbis ab arte viros.
Frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo,
fortia verbosi natus ad arma fori;
at mihi iam puero caelestia sacra placebant,
inque suum furtim Musa trahebat opus.
Saepe pater dixit 'Studium quid inutile temptas?
Maeonides nullas ipse reliquit opes.'
Motus eram dictis, totoque Helicone relicto
scribere temptabam verba soluta modis.
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
et quod temptabam dicere, versus erat.
Interea tacito passu labentibus annis
liberior fratri sumpta mihique toga est,
induiturque umeris cum lato purpura clavo,
et studium nobis, quod fuit ante, manet.

Iamque decem vitae frater geminaverat annos,
cum perit, et coepi parte carere mei.

**c. Ovidius vindt zichzelf niet geschikt voor een politieke carrière (IV, 10, 33-40)**

Cepimus et tenerae primos aetatis honores,
eque viris quondam pars tribus una fui.
Curia restabat: clavi mensura coacta est;
maius erat nostris viribus illud onus.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
sollicitaeque fugax ambitionis eram,
et petere Aoniae suadebant tuta sorores
otia, iudicio semper amata meo.

**d. Ovidius laat zich inspireren door andere dichters (IV, 10, 41-56)**

Temporis illius colui fovique poetas,
quotque aderant vates, rebar adesse deos.

Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,
    quaeque nocet serpens, quae iuvat herba, Macer,
saepe suos solitus recitare Propertius ignes,
    iure sodalicii, quo mihi iunctus erat.
Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambis
    dulcia convictus membra fuere mei.
Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
    dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
Vergilium vidi tantum: nec avara Tibullo
    tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi;
    quartus ab his serie temporis ipse fui.
Utque ego maiores, sic me coluere minores,
    notaque non tarde facta Thalia mea est.

**e. Ovidius als dichter (IV, 10, 57-68)**

Carmina cum primum populo iuvenalia legi,
barba resecta mihi bisve semelve fuit.
Moverat ingenium totam cantata per urbem
nomine non vero dicta Corinna mihi.
Multa quidem scripsi, sed, quae vitiosa putavi,
emendaturis ignibus ipse dedi.
Tunc quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi,
iratus studio carminibusque meis.
Molle Cupidineis nec inexpugnabile telis
cor mihi, quodque levis causa moveret, erat.
Cum tamen hic essem minimoque accenderer igni,
nomine sub nostro fabula nulla fuit.

**f. Ovidius' familieleven (IV, 10, 69-90)**

Paene mihi puero nec digna nec utilis uxor
est data, quae tempus per breve nupta fuit.

Illi successit, quamvis sine crimine, coniunx,
non tamen in nostro firma futura toro.
Ultima, quae mecum seros permansit in annos,
sustinuit coniunx exulis esse viri.
Filia me mea bis prima fecunda iuventa,
sed non ex uno coniuge, fecit avum.
Et iam complerat genitor sua fata novemque
addiderat lustris altera lustra novem.
Non aliter flevi, quam me fleturus ademptum
ille fuit; matris proxima busta tuli.
Felices ambo tempestiveque sepulti,
ante diem poenae quod periere meae!
Me quoque felicem, quod non viventibus illis
sum miser, et de me quod doluere nihil!

Si tamen extinctis aliquid nisi nomina restant,
et gracilis structos effugit umbra rogos:
fama, parentales, si vos mea contigit, umbrae,
et sunt in Stygio crimina nostra foro,
scite, precor, causam (nec vos mihi fallere fas est)
errorem iussae, non scelus, esse fugae.

**g. In ballingschap** (**IV, 10, 91-110**)

Manibus hoc satis est: ad vos, studiosa, revertor,
pectora, quae vitae quaeritis acta meae.
Iam mihi canities pulsis melioribus annis
venerat, antiquas miscueratque comas,
postque meos ortus Pisaea vinctus oliva
abstulerat deciens praemia victor eques,
cum maris Euxini positos ad laeva Tomitas
quaerere me laesi principis ira iubet.
Causa meae cunctis nimium quoque nota ruinae
indicio non est testificanda meo.

Quid referam comitumque nefas famulosque nocentes?
    Ipsa multa tuli non leviora fuga.
Indignata malis mens est succumbere seque
    praestitit invictam viribus usa suis;
oblitusque mei ductaeque per otia vitae
    insolita cepi temporis arma manu.
Totque tuli terra casus pelagoque quot inter
    occultum stellae conspicuumque polum.
Tacta mihi tandem longis erroribus acto
    iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis.

**h. De poëzie als troost en onsterfelijke roem** (IV, 10, 111-132)

Hic ego, finitimis quamvis circumsoner armis,
    tristia, quo possum, carmine fata levo.
Quod quamvis nemo est, cuius referatur ad aures,
    sic tamen absumo decipioque diem.

Ergo quod vivo durisque laboribus obsto,
nec me sollicitae taedia lucis habent,
gratia, Musa, tibi: nam tu solacia praebes,
tu curae requies, tu medicina venis.
Tu dux et comes es, tu nos abducis ab Histro,
in medioque mihi das Helicone locum;
tu mihi, quod rarum est, vivo sublime dedisti
nomen, ab exequiis quod dare fama solet.
Nec, qui detrectat praesentia, Livor iniquo
ullum de nostris dente momordit opus.
Nam tulerint magnos cum saecula nostra poetas,
non fuit ingenio fama maligna meo,
cumque ego praeponam multos mihi, non minor illis
dicor et in toto plurimus orbe legor.
Si quid habent igitur vatum praesagia veri,
protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.

Sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam,

iure tibi grates, candide lector, ago.